

108. MUNTINGIA. *Gen. Pl.*

CAL. *Perianthium* pentaphyllum, patens: *foliis* lanceolatis, acuminatis, persistentibus.

COR. *Petala* quinque, obovata, longitudine Calycis. &c.

STAM. *Filamenta* (brevissima), corolla breviora &c.

109. CLUSIA. *Gen. Pl. 502.*

In itinere ad missiones Pirituenses copiam Arborum harum altissimarum, scandentium vidi, cum copia florum deciduorum ubique in via ad montem umbrosissimum juxta Popul vulgo Tucugo; at ex altero harum individuo caso, ut ex ramis cacuminis flores recentes decerperem, differentiam non minimam in partibus deprehendi Fructificationis inter Flores antea casu lectas in via & hos recentes, præsertim in genitalibus, uterque tamen in Calyce & Corolla amicissime conveniebat.

CAL. (utrique) *Perianthium* hexaphyllum, patens: *foliis* oppositis, imbricatis, interioribus per paria opposita longioribus, concavis, patentibus, persistentibus.

COR. (utrique) *Petala* quinque, patentissima, calyce majora, basi crassiora, oblonga, in medio leviter contracta, apice subrotunda, integra.

\* Individuum floribus recentibus, nullum habuit

*Nectarium* nisi congeries Staminum si ita vocari debet.

STAM. *Filamenta* nulla. *Anthera* viginti octo ad triginta, sessiles, contiguæ, angulatæ, in acervum quinquangularem supra planum congestæ, vix a se invicem distinguibiles, in singulo margine elevato, obtuso Succo glutinosissimo præstantes; in medio impressio absque glutinæ, non fariniferæ, quantum vidi.

Hinc forte nectarium potius exit, sed tunc stamina desciunt.

*Germen* ut in *Gen. Pl.* ab hoc acervo includebatur.

\* *Flores* in via inventi, habuerunt

STAM. *Filamenta* plurima, subulata, patula, basi connata in membranam.

*Germen* & acervum Nectarii non vidi.

Fru-